

vel ipsum Pontum Euxinum adæquet, sed de huius hominis iudicio, parum curandum est, qui vel iudicio caret, vel si quid iudicij habet, id totum, quantumcumque est, erroris vitio foedatur; sed ad rem venio, & dico, mare simul cum terra fuisse creatum: licet iuxta communem Scripturæ sensum, initio totam terram complecteretur, tum deinde tertio die, Dei iussu & imperio, & Angelorum ut par est, ministerio, in eum locum, in quo nunc est, collecta sit, licet fortè ab eo tempore aliquot terræ tractus occuparit, quos prius minimè occupabat, & alios vicissim reliquerit, de quo infra.

Hinc reiicias veteres quosdam Philosophos, quorum aliqui mare terræ sudorem esse dixerunt, dum vi Solis incalescit; alij ex fontium & fluminum perenni appulsu mare natum esse: alij quidquid modo liberae terræ patet, sub vndis olim latuisse volebant, sed tandem vi Solis aquam exsiccatam fuisse; sed bonus sum, qui in his hæreo; quæstio facti est, testes produco, scilicet Scripturam.

PROPOS. III.

Dici potest cur mare non exundet quantumvis flumina perenni cursu affluant: quia cum aqua fluminum ex mari procedat, mediata saltem, ut aiunt, ut paulò post ostendam; certè æqualis est iactura lucro, & & tantum decedit, quantum accedit; non tamen est, quod aliqui recurrant ad hiantes & apertas venas, quæ mare ipsum emulgent; sic enim magnificè loquitur Fromondus, ac educunt, inquit, in subterraneam abyssum; sed ubi abyssus plena est,

quis erit amplius aquæ locus; effluet, inquires, in fontium scaturigines; belle, ô egregium aquarum arbitrum, & libratores; sed paulò post hominem castigabo, cum scilicet de fontibus agam, hinc tantum suppono, omnia flumina ac fontium scaturigines ex ipso mari ortum ducere, quod quomodo fiat infra dicam.

PROPOS. IV.

Aliqua maria ductibus subterraneis inuicem commiscetur: de mari Caspio certum est, cum enim multa flumina ab omni parte eò confluant, ut constat ex Geographis, & cum ea non sit vis Solis, quæ tantumdem humoris in halitum exprimat, cum prædictum mare inter 40. & 50. grad. latitudinis contineatur; cum demum non exundet, sed iisdem semper finibus circumscribatur, certè ductibus subterraneis suas aquas in aliud mare traducit, scilicet in pontum Euxinum.

Hinc sanè si mare Caspium salsum non sit, ut multi volunt, optima ratio erit, quia tandem per admixtionem aquæ dulcis falsedo subigitur, & abigitur; porro non euincitur ex prædicto maris Caspij per subterraneos meatus effluvio, mare Caspium salsum non esse, licet dato, & non concessio, quod salsum non sit; prædicta ratio valeat, nempe adedè vattæ sunt illæ subterraneæ voragines, ut in iis aquæ misceantur, ac proinde salsum mare ubique sit: analogiam habes in geminis lebetibus A C, E D, aqua falsa plenis, & *Fig. 14.* magno canali C D coniunctis; si enim ignis vel flamma admoueatur in G, cuius calore tantumdem humoris auolet, quantum ex fonte B, affunditur